



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1863

XXXIX. Markgraf Woldemar vereignet auf Bitten Gerhard's von Kerkow dem Georgen-Hospital zu Stendal einige Hebungen, am 3. April 1319.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56044)

XXXIX. Markgraf Woldemar vereignet auf Bitten Gerhard's von Kerkow dem Georgen-Hospital zu Stendal einige Gebungen, am 3. April 1319.

In nomine Dei Amen. Ad perpetuam rei memoriam nos Woldemarus, Dei gratia Brandenburgensis et Lusatie marchio, Recognoscimus publice in hiis scriptis, quod ob reuerentiam Domini nostri Jesu Christi sueque genitricis et omnium Sanctorum suorum dedimus et per presentes literas solempni donatione donamus Infirmis morantibus extra ciuitatem Steindal a Deo percussis presentibus ac futuris proprietatem duorum frustorum durorum; scilicet unius chori filiginis et unius chori ordeï, perpetuis temporibus habendam absque omni perturbatione et molestia propter salutem animarum, nostre videlicet et progenitorum nostrorum nec non ad deuotam instantiam Domini Gherardi de Kerkowe militis nostris fidelis. Renuntiantes omni iuri, quod in dictis duobus frustis, sitis in villa Dornstede habuimus vel habere potuerimus, quoad nos et heredes nostros, si quos Deo dante procreauerimus, ac successores nostros ex quacunque causa in futuro. Testes huius nostre donationis sunt nostri fideles Nobilis vir Guntherus, Comes de Keuernberg, Droyseko, nostre Curie dapifer, Fritz de Schepelliz, Matthias de Bredowe, tunc temporis aduocati nostri, milites, Wulfardus*) Stolpenfis Prepositus tunc temporis nostre curie protonotarius cum pluribus aliis fidei testimonio decoratis. In premissorum omnium evidentiam presentes literas dari iussimus, nostri sigilli munimine ex nostro consensu et certa scientia communitas. Actum et datum Spandowe, anno Domini millesimo tricentesimo decimo nono, feria secunda post diem Palmarum.

Nach dem Copialbuche des Georgen-Hospitals zu Stendal. Mittheilung des Herrn Gymnasiallehrer Göge.

*) Muß heißen Eberhardus; er erscheint noch am 13. April als Probst von Stolpe, während er am 19. April bereits Probst von Berlin war. cf. Klöden, Woldemar II, 303.

XL. Ritter Johann von Kröcher bekundet, die Kapelle St. Marie Magdalene auf dem Berge bei Klöße dem Pfarrer zu Hennighe neu verliehen zu haben, am 16. August 1319.

Ad futuram rei geste memoriam Ego Johannes miles de Crocheren omnibus, ad quos presentes peruenerint, cupio notum esse, quod capellam beate marie magdalene in parrochia villa (sic) hennighe sitam, eidem parrochiali ecclesie hennighe ex antiquo adiacentem, domino hartmanno, diete ecclesie hennighe rectori, requisito super hoc patris mei domini droysekens consensu et habito, propter diuersas, que eidem domino hartmanno mouebantur, actiones occasione prefate capelle, licet sue ecclesie in hennighe prediete vnita fuerit temporibus ex antiquis, de nouo contuli, hanc meam sibi in huius testimonium largiens litteram, Sigilli mei appensione communitam, sub anno domini M°. CCC°. decimo nono, sequenti die assumptionis marie virginis gloriose.

Aus dem Copiarium des h. Geist-Klosters zu Salzwebedol. 27.